



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Murenulæ Sacræ Vestis Sponsæ Regis Æterni
Vermiculatæ Opus, De Privilegiis Ordinum Regularium**

Alviset, Virginius

Campidonæ, 1673

§. 2. De Capitibus ex quibus effectivè amittitur privilegium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62361)

cit esse aliis nimis onerosum, & damnosum *c. dilecti & c. suggestum de decim. Gloss. cap. quid pernovale de verb. sign. Panor. eod. & c. cum ad hos de cler. non resid. Specul. tit. de instr. edit. §. 11. lib. 2. Corraf. in tract. de privil. Quo casu volunt DD. ut reducat ad debitam aequitatem, & moderationem. Verum si enormem laesionem infert, absolute cessare, tenent Guil. Bened. in cap. ragnutius de testa. v. & uxorem nu. 253. Reb. in pra. p. 1. tit. de differ. int. reser. & privileg. nu. 44. & alii apud ipsum.*

S. II.

De Capitibus ex quibus effectivè amittitur Privilegium.

SUMMARIUM.

- 1 Privilegia amittuntur 6. modis.
- 2 Amisso Privilegio, nefas ad illud redire.
- 3 In dubio Privilegium non praesumitur amissum.
- 1 Sicut sex viis acquirantur Privilegia, ita & sex amittuntur, scilicet per revocationem, renuntiationem, cessationem causam, non usum, contrarium usum, & praescriptionem, de quibus omnibus acturus infrequentibus, id in communi dixero, quòd quacunq; via, & quocunq; ex capite amittatur aliquod privilegium postquam tamen semel amissum fuerit, jam omnis illius usus incipit esse illicitus. Adeo ut nefas sit, ad illud redire. Unde Joann. Ant. de Nigris in extrav. unic. de vit. & bon. cler. comparat privilegium amissum virginitati de qua Poëta. Nulla reparabilis arte, lapsa pudicitia est. Id dubio tamen, nullum privilegium reputatur amissum, ut notat Gloss. in sum. 25. q. 2 Feder. Roman. Gambar. Boer. & Seraph. quos citat, & sequitur Tambur. r. 1. de iur. Abb. d. 16. q. 10. Quia ex quo constat de concessione, & non de amissione, possessio stat pro existentia.

ARTICULUS I.

De Amissione Privilegiorum per revocationem.

SUMMARIUM.

- 1 Per quas causas res nascitur, per eas destruitur.
- 2 Revocatio privilegii dicitur mutationem iudiciorum in principe.
- 3 Princeps revocans privilegium facit contra suam dignitatem.
- 4 Quod in principe est indecens, iudicatur impossibile.
- 5 Ex causa potest tolli privilegium.
- 6 Sed haec causa debet respicere utilitatem publicam.
- 7 Et tenetur Princeps compensare privilegium.
- 8 Sine causa non potest tolli privilegium.
- 9 Existente causa ad dispensandum, peccat Superior, si non dispensat.
- 10 Alias peccat Princeps.
- 11 Id solum dicimus posse, quod de jure.
- 12 Valet revocatio privilegii, etiam si Princeps revocando peccaverit.
- 13 Privilegium cause pia an revocabile.
- 14 An concessum ad instantiam Principis.
- 15 An concessum non subdito.
- 16 Donatio acceptata non potest revocari.
- 17 Concessum per modum simplicis gratiae potest revocari, §. 22.
- 18 An concessum per modum remunerationis.
- 19 An si transit in naturam contractus, §. 25.
- 20 Quae sunt juris naturae, non subiacent voluntati humanae.
- 21 An possit in aliquo casu ab eo recedere.
- 22 Sola voluntas in Principe sufficit ad revocandum privilegium gratiosum.
- 23 In revocatione privilegii quatuor servanda.
- 24 Quomodo revocatio intimanda.
- 25 Ea revocationis promulgatio sufficit ad reddendum illicitum usum privilegii, quae sufficit in lege, ad hoc ut obliget.
- 26 Princeps

11 princeps supplet ad validandum actum, gestum
 per privilegium revocatum, dum revocatio
 invincibiliter ignoratur.
 12 si privilegium revocari est illicitus, etiam non
 acceptata revocatione.
 13 deus in quorundam opinione.
 14 si usus privilegii sit illicitus, revocatio debet esse
 sufficiens.
 15 de intimata legitime.
 16 licitum in quibusdam casibus non deferre revo-
 cationi privilegii.
 17 privilegia Regularium obnoxia revocationi.
 18 licet sunt duplicis generis.
 19 quid tenendum de oraculis.
 20 Vani Pontifices ea revocant.
 21 Revo. aut nulla de facto sunt revocata.
 22 de concessis per scripturam quid dicendum re-
 missive.

Hac via amittuntur, quando is qui
 concessit, aut ejus successor decla-
 rat se nolle ut amplius locū habeant, quia
 ait Panor. in c. atsi Clerici de judic. Nihil
 est tam naturale, quam ut per quas causas
 res nascitur, per eas destruat. Verūm
 in omnia privilegia possint revocari
 non parum controvertitur inter DD.
 Et quidem.

1 Nulla posse revocari, sic nonnulli ad-
 struunt, quia revocatio dicit mutatio-
 nem, voluntatis in revocante, omnis au-
 tem mutatio dedecet nedum Principem,
 sed quemvis virum gravem. Princeps
 igitur faceret contra suam dignitatem, si
 aliquod privilegium revocaret. Unde ju-
 ri clamant, quod beneficium Principis decet
 esse perpetuum c. decet de iur. in 6. Quod si de-
 cuit maneat, indecens est ut tollatur,
 quod verò in Principe est indecens, judi-
 cantur impossibile, ut notat Aufrer. in
 Clem. 1. de off. ord. nu. 45. verūm hæc impos-
 sibilitas est tantum moralis, & potius cu-
 jusdam congruentiæ, & sic non conclu-
 dit totus hic discursus.

Alii volunt ut attendatur ad causam
 qua revocationem suadet, & dicunt quod
 ubi subest aliqua justa, poterit privilegiū
 limitari, vel conditio adhiberi secundum
 Lud. Molin. lib. 4. primog. c. 3. Et Peregrin.
 lib. 1. de jure fisci tit. 3. Aur etiam absolutè
 tolli, ut concedunt Pinell. lib. 1. c. de bon.
 mat. p. 3. Rolland. conf. 66. Alex. conf. 216.
 vol. 2. & Menoch. lib. 2. de præf. 10. Modò ta-
 men talis causa respiciat utilitatem pub-
 licam, ut volunt Ruin. conf. 330 vol. 1. Cra-
 vet conf. 276. Surd. conf. 203. Et Riminald.
 jun. conf. 601. Quo casu renebitur adhuc
 Princeps compensare hunc, cui tollit pri-
 vilegium, secundum Dec. l. id quod nostrum
 ff. de reg. jur. Socin. conf. 266. vol. 2. Et Jaf.
 conf. 253. vol. 2. Per l. 1. c. quib. ex caus. servia
 pro pro. & l. si quando eod. de oper. libert. Vide
 dicta ubi de claus. plen. pot.

At quando nulla causa justa subest,
 qua privilegium revocandum suadeat,
 volunt authores hujus opinionis, absolu-
 tē non posse revocari. arg. l. Titius ff. de ob-
 seq. auth. de referend. coll. 2. cap. suggestum de
 decim. c. licet & c. postquam 25. qu. 2. Ubi di-
 citur quod Pro necessitate, corrigendorum vi-
 tiorum, privilegia Ecclesiarum, vel imminuun-
 tur, vel penitus mutantur. Unde datur infe-
 rendum, quod ubi non subest necessitas,
 id est justa causa, non poterunt minui, vel
 mutari, facit quod privilegium participat
 plurimum de natura dispensationis. Imò
 coincidit cum dispensatione secundum
 Innoc. c. in nostra de iur. Et Camban. in tr.
 de privil. At quando adest causa dispensan-
 di, peccat Superior, si non dispensat, vel
 si dispensationem prius datam tollit, ut
 tenet Gloss. can. Domino d. 50. & can. exigunt
 1. quest. 7. Rebuff. cap. postulasti de Cler. ex-
 com. Franc. cap. licet canon. de elect. in 6. Ca-
 pistran. in extr. 1. 10 ann. 22. de verb. signif. Et
 alii Canonistæ in cap. quanto 2. qu. 5. Quos
 sequitur Barbat. conf. 40. vol. 4. & Sylv. v.
 dispen.

PRIVILEGIA
 REGULARIUM
 ET
 MONASTICARUM
 IN REGIS
 CELLARUM
 POSITUM
 8

- 10 dispensatio. Ergo similiter peccat Superior revocando privilegium, cuius continuandi subest, & durat causa. Quod si peccat revocando, ergo non potest revocare: quia posse id solum dicimur, quod de jure, seu iuste l. filiam ff. de cond. indeb. can. 2. quest. 2. Azo. can. nos in quemquam 2. quest. 1. Gloss. cap. nisi cum pridem de renunt. Et Natta in Clem. sepè de verb. sign. Verum neque solvit hic discursus difficultatem. Tum quia licet privilegium, & dispensatio conveniunt in aliquibus, non tamen
- 11 in omnibus, & sic non licet arguere à dispensatione, ad privilegium. Tum quia licet demus peccare Principem tollendo privilegium, vel dispensationem, non tamen sequitur non valere revocationem, postquam semel facta est.
- 12 Alii putant, esse attendendum ad causam, propter quam concessum fuit privilegium de cuius revocatione agitur. Volunt enim, non posse revocari concessa ad causam piam, vel saltem non nisi à grè admōdum, & per specialem expressionem cap. si propter tua debita de rescr. in 6. l. liberti ult. ff. de alim. & cib. leg. Cign. l. 1. C. quando imp. in re pup. & vid. Et Corral. in tract. de privi.
- 13 Alii attendunt personam, ad cuius instantiam privilegium fuit concessum, quia data ad instantiam Regis vel Reginae, fortiuntur quandam excellentiam ab eorum personis & precibus, ut propterea non soleant comprehendere sub ullis revocationibus, ex statuto Adriani 6. tit. de cessionib. Paris. cons. 14. vol. 4. & Roman. cons. 393.
- 14 Alii demum magis è re visum fuit, ut habeatur ratio personarum, quibus privilegium fuit concessum. Et dicunt, quod concessa non subditis, non possunt revocari post acceptationem, quia transeunt ad illos, non tanquam leges, suam naturam revocabiles, sed tanquam contractus, vel

quali, id est per modum donationis, quae semel acceptata non potest amplius revocari, eò quod per acceptationem jus quæritur l. perfecta C. de donat. quae sub mod. Archid. cap. quicumque 6. quest. 1. & 11. quest. 3. Innoc. cap. novit. de iudic. Panor. eod. & cap. super eo, de appell. cap. inter alia de Imm. Eccl. & cap. suggestum de decim. Joann. Andr. cap. constitutus de rel. dom. Host. in sum. cit. de privileg. qualiter. Et Specul. tit. de inst. edit. §. nunc autem.

At verò quantum ad concessa propriis subditis, distinguunt & dicunt, quod concessa, sic ut semper retineant naturam gratiae, possunt revocari, quia conservatio gratiae pendet à voluntate concedentis, Innoc. cap. in nostra de jur. jur. Aufret. Clem. 1. de off. ord. Sylv. & alii passim. At verò secus est de concessis per modum remunerationis, seu compensationis, in consequentiam alicujus operis praestiti, vel praestandi, haec enim non possunt revocari secundum ipsos, quia non retinent naturam simplicis gratiae, sed transeunt in contractum, & sunt jura quaesita, quae ideo non possunt tolli ab his quibus sunt quaesita, sin autem, dicunt, eos non teneri deferre revocationi arg. cap. 2. de spons. & l. ab empirico ff. de pact. Ita Bened. cap. raynuius de testa v. duas num. 36. & v. si absque scit. 3. num. 43. Panor. cap. in nostra cit. Innocent. cap. novit item cit. Ubi Canonista. Et in cap. 1. de prob. Cignus & alii in l. digna vox Cod. de legib. Et l. 2. eod. de servit. & aqua, ubi scire monet quod licet Deus subjecerit leges Principi, non tamen contractus. Tiraq. l. si nunquam C. de revoc. don. Bald. l. qui se patris, eod. unde libert. Barth. l. omnes populi ff. de inst. & iur. Et l. penult. eod. de decret. ab ord. sac. ubi Legista. Afflict. decis. 128. Cephal. cons. 559 vol. 4. Rolland. cons. 13. vol. 3. Surd. cons. 419. vol. 3. Sanctae lib. 1. var. resol. quest. 17. Molin. Rebell. & Less.

Iell. quos citat & sequitur Lugo tomo. 2. non est de vot. & cap. 1. de et. & qual. in 6. An-
 gel. l. quidam consuli abant. ff. de re iud. Jas. l. 1.
 Et Ratio est, quia Religio & observatio
 eorum, quæ sunt juris naturæ, non
 pendunt à voluntate partium hujusmodi
 autem sunt contractus seu quæ in con-
 tractum transeunt, unde dicunt DD. e-
 tiam Papam, & quemcunque Principem,
 etiam supremum, teneri, & obligari ex
 contractu. c. 1. de prob. & l. casar. ff. de publici.
 Et sic v. g. Panor. in c. cit. in nostra. ait, quod
 si Princeps, vel civitas dedit privilegium,
 ut quicumque habitaverit in tali pago,
 liber sit à gabellis, non potest revocare
 in præjudicium eorum, qui jam vene-
 runt, & sic de aliis. Quæ doctrina mihi
 admodum probatur, cum ea modificatione,
 quam ei nonnulli addunt, dicentes posse
 rescindi à successore Principis hos con-
 tractus, quos ipse tanquam persona pri-
 vata fecit, quia eorum obligatio est per-
 sonalis, non verò has quos fecit ut Prin-
 cept seu nomine coronæ, vel Sedis, ra-
 tione sumpta in oppositum.
 Ut autem & ego aliquid dicam, in hac
 materia revocationem, mea opinio est,
 ea omnia privilegia, quæ retinent natu-
 ram simplicis gratiæ, & sunt concessa,
 propriis subditis posse revocari seu ab
 illo qui concessit, seu successore. arg. l.
 C. de juda & l. iudicium ff. de iudic. Ita
 præter allegatos DD. in Superioribus,
 Felin. cap. 1. de prob. & c. que in Ecclesiarum
 de consuet. Decius eodem Gloss. c. decet de reg.
 in an. 6. Frane. eod. Bald. l. qui se patris C.
 unde lib. Martin. Laud. in tract. de privileg.
 23. q. 34. Et tunc sola voluntas, seu bene-
 placitum Principis reputatur causa suffi-
 ciens ad talium revocationem, sicut fuit
 reputata sufficiens ad eorundem conces-
 sionem cap. proposuit. de conc. præb. Felin.
 c. p. studij. de reser. Innocent. capit. cum ad
 Monast. de stat. mon. Gloss. c. omnia d. 45. c.

non est de vot. & cap. 1. de et. & qual. in 6. An-
 gel. l. quidam consuli abant. ff. de re iud. Jas. l. 1.
 Et Ratio est, quia Religio & observatio
 eorum, quæ sunt juris naturæ, non
 pendunt à voluntate partium hujusmodi
 autem sunt contractus seu quæ in con-
 tractum transeunt, unde dicunt DD. e-
 tiam Papam, & quemcunque Principem,
 etiam supremum, teneri, & obligari ex
 contractu. c. 1. de prob. & l. casar. ff. de publici.
 Et sic v. g. Panor. in c. cit. in nostra. ait, quod
 si Princeps, vel civitas dedit privilegium,
 ut quicumque habitaverit in tali pago,
 liber sit à gabellis, non potest revocare
 in præjudicium eorum, qui jam vene-
 runt, & sic de aliis. Quæ doctrina mihi
 admodum probatur, cum ea modificatione,
 quam ei nonnulli addunt, dicentes posse
 rescindi à successore Principis hos con-
 tractus, quos ipse tanquam persona pri-
 vata fecit, quia eorum obligatio est per-
 sonalis, non verò has quos fecit ut Prin-
 cept seu nomine coronæ, vel Sedis, ra-
 tione sumpta in oppositum.
 Ut autem & ego aliquid dicam, in hac
 materia revocationem, mea opinio est,
 ea omnia privilegia, quæ retinent natu-
 ram simplicis gratiæ, & sunt concessa,
 propriis subditis posse revocari seu ab
 illo qui concessit, seu successore. arg. l.
 C. de juda & l. iudicium ff. de iudic. Ita
 præter allegatos DD. in Superioribus,
 Felin. cap. 1. de prob. & c. que in Ecclesiarum
 de consuet. Decius eodem Gloss. c. decet de reg.
 in an. 6. Frane. eod. Bald. l. qui se patris C.
 unde lib. Martin. Laud. in tract. de privileg.
 23. q. 34. Et tunc sola voluntas, seu bene-
 placitum Principis reputatur causa suffi-
 ciens ad talium revocationem, sicut fuit
 reputata sufficiens ad eorundem conces-
 sionem cap. proposuit. de conc. præb. Felin.
 c. p. studij. de reser. Innocent. capit. cum ad
 Monast. de stat. mon. Gloss. c. omnia d. 45. c.

Quantùm verò ad concessa non sub-
 ditis, vel quæ transeunt in contractum,
 arbitror ego non posse quidem revocari
 potestate ordinaria, bene tamen per ab-
 solutam, seu supremam, & extraordina-
 riam, secundùm ea, quæ dixi ubi de claus.
 plenit. pot. Ratio primæ Partis est, quia per
 potestatem ordinariam, dum Princeps
 operatur, conformat se legibus & juri
 communi, quòd vult servari contractus,
 & jubet esse fidelem. Ratio verò secundæ
 Partis est, quia Princeps non potest à se
 abdicare plenitudinem potestatis, quæ
 transcendit omnia jura, & omnia pacta
 rescindit (ubi opus est) secundùm dicta
 loco cit.
 Unde conciliando opiniones omnes
 superiores, dico, quòd quantùm ad DD.
 tenentes, nulla privilegia posse revocari,
 etiam illa quæ continent simplicem gra-
 tiam, debent intelligi secundùm decen-
 tiam, & ex quadam congruitate, ut om-
 nis illa impossibilitas resolvatur in sim-
 plicem indecentiam. Quantùm verò ad
 alios tenentes ea saltem non revocari,
 quæ transeunt in contractum, vel quæ
 concessa sunt favore causæ piæ, seu ad in-
 stantiam Regis, intelligi debent de pote-
 estate ordinaria, non de supræmâ & abso-
 luta,
 (a) Iustitiæ & rationis ordo suadet ut qui à suc-
 cessoribus suis mandata servari desiderant, decessor-
 is sui statuta custodiant. c. justitiæ 25. quæ 1. & c.
 institutionis. eod. q. 2.

REGIA
 IMPERIALI
 ET
 ELECTORALI
 IN REGIAS
 UNIVERSITATIS
 PADERBORNENSIS
 BIBLIOTHECÆ
 POSITUS
 1788

lura, quæ tamen supponat causas urgentissimas quæ exprimentur in revocatione, & cum clausulis efficacissimis, secundum dicta, ubi de claus. non obstant. & de claus. plenit. pot. & ubi de intellectu privileg.

26 Nam in omni revocatione hæc quatuor sunt semper observanda, nempe primo, ut exprimat privilegium, seu illa pars privilegii, quæ revocatur: secundo causa movens ad hanc revocationem faciendam, puta aliqua ex his propter quas dicebam in præcedenti §. aliquem mereri amittere privilegium: tertio. Adhibentur clausula: pro natura privilegii revocandi, generales, aut magis speciales, & efficaciores secundum dicta similiter in superioribus, & præcipue, ubi de claus. Non obstantibus, quarto. Revocatio intimatur. Quomodo verò illa debent intimari.

27 Navarr. Notab. 11. de indulg. Salas de leg. d. 12. sect. 6. Suar. lib. 8. de leg. c. 4. A for. p. 1. inst. lib. 5. cap. 3. quæst. 6. & Regin. in pra. lib. 13. num. 157. putant nihil referre, & teneri privilegiatum abstinere privilegio, statim atque intelligit esse revocatum, quomodocunque interim hæc ad ipsum cognitio deferatur; Rebuff. verò in pra. ben. tit. de for. vicar. num. 212. Boer. decis. 347. Cutill. in addit. ad præf. 4. Mancinæam dub. 32. Bonac. disp. 1. de leg. qu. 2 p. 8. & alii apud ipsos, volunt ut hæc intimatio fiat per nuntium, vel Epistolam ad hoc destinatam. Addit Sor. lib. 1. de inst. & iur. quæst. 1. nu. 4. Nec sufficere revocationem factam in curia Principis. Sed esse promulgandam in Diœcesi propria privilegiati. Et si sint plures qui privilegio utuntur, volunt nonnulli, quos suppresso nomine citat Valch. 1. 2. d. 156. c. 4. etiam in singulorum oppidis, & civitatibus, esse promulgandam.

28 Verum hujus sum ego mentis, eam

promulgationem revocationis cujuscunque privilegii sufficere ad hoc ut tollatur, quæ de jure communi sufficit pro legibus, ad hoc ut dicantur obligare ut quemadmodum lex statim obligat post sufficientem promulgationem, ita statim cesserit privilegium post sufficientem revocationis promulgationem, & omnia in contrarium facta deinceps sint irrita, etiam facta ab ignorante revocationem, ita Coscius. cap. cognoscentes de const. nu. 87. Bellam in præem. Clem. num. 83 & Lud. Mol. to 6. de iur. tract. 5. d. 70. nu. 2. Quamvis possit dici quòd quamdiu ignorantia est invincibilis, censetur (ad validanda talia) Princeps supplere, quòd majora inconvenientia in statu publico vitentur per ea quæ ego tractavi ubi de acquis. privileg. per viam erroris. Quòd si admitti debet, vel maxime in ulu privilegiorum Regularium.

Et quamvis communiter dicatur de legibus, acceptandas esse ad hoc ut obligent non pollunt tamen ita ratiocinari circa revocationem privilegiorum, sed statim atque hæc legitime, & sufficienter facta est, oportet abstinere, quia, sicut non licet uti privilegio non concessio, ita nec revocato, perinde enim est, non fuisse concessum, vel esse revocatum, & qui tali privilegio uteretur, posset puniri tanquam de fallo, arg. l. fin. ff. ad l. cornel. de fall. Dixi autem legitime quia in opinione eorum, qui volunt non posse revocare, tunc contrarium erit tenendum. Nam sicut (hæc supposita opinione) non potest esse legitima, hoc est justa revocatio, sic non erit obligatio ei deferendi, nec abstinendi privilegio revocato, nisi revocatio acceptata fuerit. Dixi item sufficienter, puta servatis circumstantiis assignatis, nempe cum expressione debita illius privilegii quod Princeps intendit revocare, & causa

causæ moventis, cum clausulis efficacibus
juxta dicta, ubi de claus. *non obstantibus*, &
claus. *plenit potest.* Et facta intimatione
secundum opiniones supra memoratas,
33 Quod si aliquid ex his omisum fuerit,
34 si in revocatione, nulla causa expres-
sauerit, putatur Princeps fuisse circum-
ventus, secundum Steph. Cost. in cap. *Alma*
Mater de sent. excom. in 6. §. in festivitatis.
Unde & non tenebuntur subditi deferre
revocationi. Idemque dico si non utatur
clausulis satis efficacibus, aut si confuse
loquatur, seu alius defectus in scriptura
notetur, vel intimatio fiat indebitè, tunc
enim ut dictum est præsumitur Princeps
circumventus, vel certè supposititia re-
vocatio.

35 Atque hæc quasi in communi. Quod au-
tem attinet ad privilegia Regularium,
non desunt qui putent, esse irrevocabi-
lia, tum quia spectant ad causam piam,
tum quia transferunt in contractum, tum
quia ad instantiam Regum concessa pro
majori parte, tum quia causæ quæ ut con-
cederentur suaserunt, adhuc durant &c.
Sed certè contrarium probat praxis &
communiter docent omnes, ut Felin cap.
1. de prob. Et cap. quæ in Ecclesiarum de const.
Decius eod. Gloss. c. *decer de reg. jur. in 6.*
Franc. eod. Barth. leg. hi qui ff. de iur. imm.
& leg. quod semel ff. de decret. ab ord. sac. Bald.
leg. qui se Patri Cod. unde lib. Fulgos. l. privi-
legia eod. de sacros. Eccl. Cravet. conf. 276. &
Martin. Laud. in tract. de privil. qu. 34.

36 Ut verò sciamus, quamnam privilegia
Regularium sint verè, & effectivè revo-
cata, advertendum est, hæc esse in duplici
differentia, nam quædam illorum fuere
concessa solo vivæ vocis oraculo (ut lo-
quuntur) alia verò per constitutiones,
37 & Bullas scriptas. Et quidem quod ad ora-
cula attinet, sit inter hæc adhuc distin-
ctio, quia horum aliqua, licet sola voce

originariè fuerint concessa à Summis
Pontificibus, successu tamen temporis
fuerunt innovata, & confirmata ab aliis
per constitutiones & Bullas scriptas, at-
que inde mutaverunt naturam, & habue-
runt vigorem non virtute solùm oracu-
lorum, sed virtute ejusmodi constitutio-
num, inter quas etiam meritò debent nu-
merari ut jam ego monui ubi de confir-
privileg. v. quia verò.

Igitur Gregor. XV. Anno 1622. die 38
1. Septemb. Cùm inaudiisset, nonnulla
oracula minus certa circumferri, volens
hac in parte omnem abusum refecare ab
Ecclesia, revocavit primò omnia oracu-
la tam à se, quàm suis prædecessoribus e-
manata, quæ non forent concessa ad in-
stantiam Regum, & manu alicujus Car-
dinalis attestata; B. quæ incipit: *Romanus*
Pontifex. Et cùm non satis adhuc provi-
sum videretur per hanc constitutionem.
Urban. VIII. Anno 1631. die 20. Decemb.
omnia profus oracula revocavit, ad cu-
juscunque instantiam forent concessa,
aut quomodocunque firmata, & roborata.
B. quæ incipit: *Alia felicitis recordationis.*
Attamen quia oracula transferunt in na-
turam constitutionum per varias con-
firmationes subsequetas usque ad Clem.
VIII. inclusivè ut plenius tractavi ubi de
confir. v. quia verò. Ideo revocatio Gre- 39
gorii vel Urbani, pauca admodum ora-
cula afficit, aut fortè nulla, nempe ea so-
la, quæ emanaverunt à Leone XI. &
Paulo V. qui soli sederunt à Clem. VIII.
usque ad prædictum Gregor. XV. Et
quamvis fortè mens illius, & Urbani
VIII. alia fuerit, loquendo tamen secun-
dum principia juris, hæc opinio mihi vi-
detur omnino certa aut saltem probabi-
lis, atque ideo tuta in conscientia. Et ita
tenent Peyrin. Diana, Aufon. & alii alle-
gati loco citat. & citandi infra sect. 4. v.
quantum

quantum demum.

40 Quantum vero ad privilegia concessa per constitutiones scriptas, non minus controversitur, qualia, vel qua sint revocata, cum sufficientibus circumstantiis ad hoc ut Regulares teneantur illis abstinere. Nam Tridentinum aliqua revocavit, ac deinde diversi Summi Pontifices, & praecipue Clement. VIII. Gregor. XV. & Urban VIII. Sed quia plurimum vocatur in dubium, an eorum revocationes sint sufficientes, & alias tadiofum foret hic referre ad longum constitutiones, magis e re mihi visum fuit, si solum in praesenti dixerem, me in sect. 4. probabiliter ostensurum, nullam revocationem esse sufficientem, quamvis sim allegaturus ad instructionem, singulas revocationes, pro concurrentia privilegiorum, & difficultatum in contextu hujus operis.

ARTICULUS II.

De Amissione Privilegiorum per Renunciationem.

SUMMARIUM.

- 1 Quisque potest renunciare suo juri.
- 2 Ad hoc requiritur ut sit certus illius.
- 3 Et ut per actum expressum renunciaret.
- 4 Et ut omnes interesse habentes consentiant.
- 5 Et ut renunciatio acceptetur.
- 6 Regularis non potest renunciare privileg. sui Ordinis.
- 7 Si renunciaverit etiam cum juramento, potest ad illud redire.
- 8 Clericus non potest renunciare privileg. Clericali.
- 9 Si omnes fratres unius Monasterii renunciant

privileg. sui Ordinis, non tenet.

- 10 Neque si omnes Praelati.
- 11 Requiritur ut ipsum capitulum renunciet ad validitatem.
- 12 An licitum reassumere privilegium, cui suis renuntiatum.

Alter modus quo potest amitti aliquod privilegium, est per Renunciationem hoc est, si privilegiatus sponte testetur se non velle amplius uti suo privilegio. cap. licet de Regul. cap. nuper de decim. & recur sari ff. de acquir. hered. Quia his qua se introducunt sunt recusare omnino conceditur cap. statuiimus de Regul. l. p. dex ff. de mun. & l. si quis in conscribendo. Episc. & Cler. Sed ad hoc requiruntur nempe primò, ut is, qui renunciat, sit certus, se tale jus vel privilegium habere, quia nemo videtur renunciare juri quod ignorat. l. si quis ff. de acquir. hered. & l. noster ff. de in off. test. ubi DD. Secundò, ut per actum expressum illi renunciet: Quod si per tacitum, seu interpretativè, necesse est eum habere intentionem, ut dicitur hoc facit, valeat pro renuntiatione, ut ut sciat talem actum habere vim expressi; & protali ab omnibus reputari, quia alias non extenduntur actus, nisi ad cogitata, & ut in ceteris, sic & in renuntiatione, etiam generali, Secundum notata à Barbof. in colle. ad l. si de certa re. de trans. Tertio, requiritur, ut omnes interesse habentes consentiant renuntiationi. c. ad haec de off. arch. & cap. quoniam omnes de Reg. jur. in 6. Addunt aliqui per Quartam conditione, renuntiationem esse acceptandam à Principe.

6 Atque ex his descendendo ad privilegia Regularium, quomodo possint per renuntiationem amitti.

Respondeo Primò, non posse privatum fratres

fratres unius Ordinis, vel Cōgregationis suis renuntiare, tum ratione tertia conditionis, quæ deficeret, tum quia licet unus privilegiorum spectet ad singulos fratrum in individuo, gratia tamen non est ipsi immediate concessa, sed suo Ordini seu corpori, jura autem Ordinis non sunt penes singulos. Imo etiam si aliquis privatus non pro toto Ordine, sed pro seipso solo renuntiaret privilegii sui Ordinis (etiam cum juramento) non teneret tamen renuntiatio; sed posset seipso redire ad renuntiata, quia quamdiu est Ordinis, non potest facere quin deriventur ad se ea, quæ sunt illius, ea ratione qua dicimus, non posse judicem laicum cognoscere cōtra Clericum, etiam si ille renuntiet privilegio fori, & incurere censuram, qui illum etiam consentientem percussit, quia non potest à se abdicare privilegium illud, non illi sed suo Ordini clericali concessum.

Ereodem jure Respondeo secundò. Neque omnes fratres unius Monasterii, Cōgregationis, vel Ordinis, posse renuntiare alicui privilegio sui Monasterii, Ordinis vel Congreg. si sigillatim singuli suam renuntiationem producunt, quia licet videantur omnes renuntiare, non renuntiant tamen nisi ut singuli, nec renuntiatione unius potest jungi cum renuntiatione alterius, & sic non potest dici adesse renuntiationem communem collegii, seu communitatis, sed singulares, & privatas, personarum singularium, longe enim aliud est personas agere prout unum corpus communitatis faciunt, & collegialiter, & agere quatenus sunt personæ privatas.

Inductò. Neque à Prælati solis Monasterii, vel Ordinis potest hæc renuntiatione fieri. Tum quia renuntiatio est quadam species alienationis, Prælati au-

tem non possunt seipsis alienare, quia illi non habent, nisi administrationem. *can. si privatum 12. qu. 1. & can. Episcopum 14. quest. 1.* concessa autem administratione (etiam libera) non censetur data facultas alienandi. *cap. fraternitatem. de donat. leg. filius familias. ff. eod. l. contra. ff. de pact. l. præses. Cod. de trans.* Tum quia licet illi sint pars nobilior sui corporis, non tamen sunt major, sed minor, clamant autem omnia jura, non posse partem minorem communitatis renuntiare juribus ad illam spectantibus.

Unde Respondeo ego Quarò. Hanc renuntiationem esse faciendam, vel à Capitulo, aut in Dieta, representante totum Ordinem, & tunc tenebit secundum dicta in initio hujus artic. Et fratres illius Ordinis, Monasterii, seu Provincia, non poterunt amplius uti tali Privilegio. An verò possint postea ad illud redire, & aliud Capitulum, aliave dieta, vel novus Prælati illud reassumere, ego puto, quòd si primò renuntiatio facta est per constitutionem confirmatam à Papa non possunt omnino ad illud redire. At si 2^o facta est per simplex statutum, major videtur difficultas, quia hoc ipso quòd Capitulum renuntiavit nomine communitatis, videtur abdicasse à se privilegium, cui renuntiavit, & ideo non posse ad illud redire. *argum. can. hoc nequaquam 7. quest. 1. cap. ad supplicationem. & cap. quidam de renunt.* Absurdum enim est, aliquem redire ad id, cui renunciandum putavit. *leg. si quis ius iurandum. Cod. de reb. cred.* Et non concedimus redintegrare, id quod semel repudiatum est. *leg. cum quidam eodem de condit. insert.*

Attamen ego contrarium teneo, quia privilegium durat adhuc in voluntate Papæ, seu Principis, quamdiu renuntiatio non est acceptata. Ergo potest rediri

rediri ad illud. Nam cum unum Capitulum non possit ligare manus alteri, semper manebit integra facultas ad illa redeundi, sicut videmus interdum sancita in uno Capitulo generali, cassari in sequenti, vel cassata redintegrari.

ARTICULUS III.

De Amissione Privilegiorum ob Cessationem causa.

SUMMARIUM.

- 1 Privil. non durat, nisi secundum intentionem concedentis.
- 2 Princeps non intendit ut duret, si causa cessat.
- 3 Hoc intelligitur secundum aliquos in odiosis solum.
- 4 Privil. non cessat cum causa, si illa est solum partialis.
- 5 Neque si adhuc durat conditio personae.
- 6 Quid tenendum de privilegio, cuius causa impulsiva cessat & 8.
- 7 Regulares relaxari an omittant ob id privilegia & 9.
- 10 Multa privilegia fuerunt concessa Regul. propter observantiam.
- 11 Monasterium non gaudet privilegiis Congreg. à qua separatur.
- 12 Aliæ explicat. ones axiom. quod cessante causa cessat privilegium. 15. 17. 18.
- 13 Privilegium datum propter paupertatem non amittitur acquisitis opibus.
- 15 Neque datum ob multitudinem liberorum, ali- quibus mortuis.
- 16 Concessum ob dignitatem, eâ abdicatâ, retinetur.

HAc via item amitti privilegia constat ex can. generaliter. 16. qu. 1. can. fin. 25. q. 2. cap. cum cessante, de appell. cap. quia nonnulli; de cler. non res. cap. suggestum. de decim. cap. Abbate de verb. sign. l. quoties. C. de prec. imp. off. l. titia. ff. de legat. 2. & l. privilegia. ff.

de reb. aut iud. poss. Ratio est, quia privilegium non durat, nisi secundum intentionem concedentis, non est autem creditibile, intendere & velle Principem, ut duret, cessante causa propter quam illud concessit: sicut non est creditibile, quod fuisset concessurus, si causa non existisset: sunt autem paria, non habuisse causam ab initio, aut jam finitam esse, quae fuit. Et ita præter jura citata, docent Gloss. cap. ita nos 25. quest. 2. Crot. cap. Lubri. er. de usur. Et Joan. Andr. in addit. ad specul. tit. de instr. ed. §. 11.

Verum distinguendum est primò inter privilegia. Nam Sanch. & nonnulli alii volunt illud axioma, quòd cessante causa, cessat privilegium, debet intelligi de solis odiosis.

Distinguendum est secundò inter causam totalem, & partialem; nam si causa privilegii cessat solum ex parte: aut si una sola cessat, cum sint plures, non tamen cessabit privilegium. Neque similitè si adhuc durat conditio personae, propter quam conjunctim cum causa, (quae cessavit) concessum fuit §. affirmativ. in l. de nupt. Barth. l. 1. ff. sol. matr. & alii cõmuniter.

Item ego distinguo inter causam finalem & motivam, seu impulsivam; quia si sola impulsiva cessat, non tamen privilegium, modò finalis duret. Et sic v. g. Roder. 10. 1. qq. reg. 9. a. 10. ait, quòd licet aliqui Religiosi malè vivant, & sint relaxati, non tamen amittunt sua privilegia, quia, inquit, hæc concessa sunt Ordini & statui, non formæ vitæ, quamvis hæc (puta observantiæ rigor) fuerit causa impulsiva, & motiva eorum.

Sed hæc doctrina patietur difficultatem in opinione eorum, quos retuli, vbi de intellectu privil. v. addit. Angel. qui volunt vitari rescriptum ob falsitatem causae impulsivæ.

impulsiua, sic enim non immerito dici
 pollet, quod quemadmodum falsitas hu-
 jus causae reddit impetratum nullum: ita
 & eius cessatio facit illud cessare. Et ita
 tenet Nald. v. causa. n. 9. Quos tamen co-
 ciliare possumus, si dicamus, hanc doctri-
 nam veram esse, & privilegium cessare ad
 cessationem causae impulsivae in odiosis
 solum, & de his intelligendum loqui DD.
 citatos. Rodericum verò de favorabili-
 bus in quem sensum ego explico Angel.
 qui sibi videretur aliàs contrarius in v.
 causa n. 4. Ubi dicit non cessare effectum
 ad cessationem causae impulsivae. Quod
 si de merè favorabilibus etiam placet axi-
 oma nostrum intelligere, & dicere ea li-
 milliter cessare ad cessationem causae. Id
 ego verum dicam, quando impulsiva im-
 bibitur in finali: vel quando efficacissi-
 me operatur, & mover, nò si leviter tan-
 tum, hoc est nò concurrando & moven-
 do, sed concomitando causam fina-
 lem, vel aliam impulsivam efficacioris,
 per modum cujusdam considerationis.
 Ex qua distinctione ego revoco in ma-
 gnum dubium opinionem Roder. si non
 pro omnibus, at certè pro non pau-
 cis privilegiis. Arbitror enim, quod in
 Monasteriis seu Ordinibus relaxatis ces-
 sante privilegia cõcessa favore observan-
 tia, quia haec fuit illorum vel causa fina-
 lis, vel in finali imbibita, aut certè effica-
 cissime impulsiva. Nò pauca autem fuis-
 se talimodo concessa patet, ex ipso teno-
 re, & praefatione litterarum Apostolica-
 rum, in quibus Lector prudens non in-
 frequenter advertet Rom. Pontifices su-
 mere occasionem, & motum ad conce-
 denda privilegia ex observantia, vita
 exemplari, bonis operibus, & fructibus,
 quos in Ecclesia exhibent Ordines, quib⁹
 talia concedunt. Ex tal. autem modo loquen-
 di intelligitur mens Papae, & ex Religions ob-

servantia, seu zelo motum fuisse, ait Rebuff.
 i. p. de claus. mand. Circa quod vide Gloss.
 cap. ita nos. 25. qu. 2. Sicque (Salvo melio-
 ri iudicio) admodum dubius mihi vide-
 tur privilegiorum usus in Ordinibus vel
 Monasteriis relaxatis. Quando verò pos-
 sit dici Ordo aliquis relaxatus? hìc ta-
 ceo, viderit quisque quam conformiter
 ad suam regulam vivat. Vide dicta s. 1.

Et per proportionem ad haec omnia, II
 ego censeo, quod si aliquod Monasterium
 vel Congregatio acquisivit privilegia
 per respectum ad aliam cui uniebatur,
 vel ad instar cujus fundabatur, ab his om-
 nino debet cessare, si separari contin-
 gat, vel formam vivendi & statum muta-
 re, nisi aliter disposuerit author privile-
 giorum, in ejusmodi mutationis indu-
 ctione, vel alio iusto titulo, se in privile-
 giorum talium usu manuteneat. Et Ratio
 est, quia unio, seu fundatio ad instar fuit
 causa motiva, aut certè in illa imbibita,
 & efficacissime impulsiva eorundem pri-
 vilegiorum.

Sed & pro explicatione nostri axio- 12
 matis, quod cessante causa cessat privilegium,
 venit tertio Distinguendum in unione
 & dependentia, quam habet privilegium
 cum tali causa, ejusve existentia, seu ex
 natura rei, seu ex voluntate conceden-
 tis, si enim Papa vel Princeps considera-
 vit solam existentiam de praesenti talis
 causa, quando concedebat gratiam, cer-
 tè nemo dixit eam cessare ad cessatio- 13
 nem illius. Et sic v.g. privilegium perci-
 piendi decimas, concessum Monasterio
 pauperi, non cessat, etiamsi contingat
 tale Monasterium devenire ad ditio- 4
 rem statum. Sic exemptio tributorum con-
 cessa homini ob multitudinem prolis
 non cessat etiam si illa diminuat per
 mortem aliquot liberorum. Et si de a-
 liis. Vanguel. cap. decet. de reg. iur. in 5.
 Quar-

REGIA
 IMPLANTUM
 ET
 AMENTARUM
 IN REGYLAS
 ANCELLAPL
 POSTOLICE
 8

- 15 Quartò. Distinguendum est in modo, quo causa cessat, physicè ne tantùm, an moraliter, an utroque modo vel an mutet naturam, ut quæ primum fuit impulsiva, fiat finalis, nam si cessat solùm physicè, non cessat privilegium cum illa, nec similiter si ex impulsiva, fiat finalis, aut quando illa cessante, remanent reliquæ, & sic v. g. privilegium concessum dignitati, durat interdum eâ abdicatâ in memoriam ipsius, eò quòd moraliter censetur adhuc durare in persona l. fin. ff. de decur. Dec. l. in omnibus. eod. de reg. iur. Et Albertin. cap. quoniam. de heret. in 6. quest. 6. n. 5. Vanguel. cap. decet. eod. de reg. iur.
- 17 Addunt Suar. lib. 3. de leg. cap. 30. Salas d. 20. sect. 6. & Alii, tunc tantum cessare privilegium ad cessationem causæ, cum illa cessat contrarie, vel quando ex cessatione talis causæ factus est injustus privilegii usus.
- 18 Addit Panor. in cap. Abbate. de verb. sign. n. 17. causam sic debere cessare & tam absolute, ut nulla spes restet de restauracione illius in futurum; secus si allucet spes aliqua illius reviviscentiæ, sed per illud interstitium manebit privilegium sopitum, & illius usus illicitus, qui tamen poterit reassumi reviviscente causa, absque alia licentia Papæ vel Principis.

ARTICULUS IV.

De Amissione Privilegiorum per non usum.

SUMMARIUM.

- 1 Civitas amittit ius nundinarum, si per 10. annos nullas celebravit.
- 2 Quid de iure conferendi gradum doctoratus, si universitas per idem tempus nemini contulit.
- 3 Ad amittendum priv. per non usum idem tempus requiritur, quod ad præscriptionem.
- 4 Privilegia favorab. non amittuntur per simplicem non usum.
- 5 Odiosa præscribuntur spacio 10. vel 20. annorum.

- 6 Ad amittendum priv. per non usum oportet fuisse occasionem utendi.
- 8 Item requiritur in privilegiato scientia, & quæ sit ut non abstinerit coactè, & quid hic coactio.
- 10 Non usus inducit præsumptionem renuntiationis.
- 11 Per non usum illi soli amittunt priv. qui possunt renuntiare.
- 12 Qui non sunt usi privilegio, possunt ad illud redire, & quando.
- 13 Nullum Regularium priv. est amissum per non usum.

ETiam hac via amitti privilegia certum est; hoc autem ut explicetur, suppono primò. Horum alia esse affirmativa, alia negativa. Et rursus tam affirmativa quam negativa esse aut favorabilia aut odiosa. Et cum de solis affirmativis hic possit esse sermo, volunt nonnulli, illa generaliter amitti, spacio 10. annorum per non usum; propter dispositionem l. 1. ff. de nund. secundum quam Civitas amittit jus, si per 10. annos nullas celebravit. In quem modum Barth. ibi dicit, quòd similiter universitas amittit jus doctorandi, si per tantum spatium neminem doctoravit. Itaque etiam de privatorum privilegiis sentit Nald. v. privilegium. n. 4. Alii tantum temporis requirunt, quantum de iure requiritur ad præscriptionem, ad leg. verò allegatam respondent eam continere dispositionem specialem, quæ non potest trahi ad alias materias.

Ego verò sic distinguo, & dico, quòd quantum ad privilegia simpliciter favorabilia, ut celebrandi Missam ante diem, in altari portatili &c. hæc nunquam amittuntur per simplicem non usum, etiam si privilegiatus non fuerit usus per mille annos (si per tot viveret) nisi simul cum non usu adjungatur contrarius usus, eò modo quo inferius dicetur. Ita Præposit. cap.

in illis d. 4. Panor. & Ioan. Andr. cap. Ioan-
nes de Cler. Coniug. Iaf. l. de quibus ff. de leg.
Cign. l. 2. C. que sit long. consuet. Aretin. §.
ignit. in proem. inst. Angel. in sum. v. lex
nom. 17. Syllu. consuetudo. num. 13 & Laym.
in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. cap. 23. Et ratio
est, quia privilegium non necessitat ad
egendum, sed dat facultatem.

Quantum vero ad privilegia odiosa,
hæc iure communi amittuntur, spatio 10.
annorum inter presentes, 20. inter ab-
sentes: quia tunc non tantum interest
non usus. Sed adversarius qui sentit in-
commodum, ex talibus privilegiis, præ-
scribit libertatem contra ipsa, ex dispo-
sitione autem juris, præscribuntur tanto
termino, quævis alia obligationes & ser-
vitudes, seu reales, seu personales. Gloss.
l. 1. cit. de nud. Suar. lib. 8. de leg. cap. 84.
& Laym. supra cit.

Verum præter hanc lapsum tempo-
ris, aliqua alia requiruntur à DD. ut per
hanc viam non usus, amittatur aliquod
privilegium, nempe primò ut privile-
giatus, habuerit occasionem utendi suo
privilegio, & tamen non sit usus. Gloss.
c. ut privilegia. de privil. & cap. Abbate de
verb. signif. Panor. & Butr. eod. Burg. c.
cum accessissent. de const. Iaf. l. beneficium ff.
eod. Nald. v. privilegium. numer. 4. & Bar-
bol. de off. pot. episc. p. 2. alleg. 26. Fallit si
non fuit occasio utendi & ita speciali ju-
re pro Cassinensib. declaravit Eugen.
IV. apud Margar. in Bull. cassin. Nald. loco
supra cit. Roder. to. 1. qq. reg. 8. a. 5. & Tam-
bur. to. 1. de iur. abb. d. 17. quest. 14.

Secundò, ut privilegiatus non sit usus
suo privilegio scienter: hoc est, quòd
hæc sciverit, se habere tale jus, & adesse
occasionem illò utendi, noluerit tamen:
ut scientia ad hunc effectum debeat respi-
cere, tam privilegium, quam occasionem
usus Barbol. & Nald. citati.

Tertiò, ut voluntariè hoc est propria
spontè abstinuerit privilegio: quòd si fuit
prohibitus, nec etiam illud amittet per
non usum, & prohibitionem ego hic in-
telligo, non tantum physicam, quæ fit vi
illata, sed etiam moralem, ob reveren-
tiam, seu similem alium respectum, vel
circumstantiam, ob quam privilegiatus,
judicat sibi expedire, hic & nunc abstine-
re privilegio. Barbol. Burg. & Nald. ci-
tati.

Demum quartò ut nõ sit usus suo pri-
vilegio ex negligentia, eaque tali, ut in-
ducat præsumptionem, renuntiationis.
Gloss. d. 22. & cap. privilegium. 11. qu. 3. &
Specul. lib. 2. tit. de instr. edit. §. 11. Aliàs
non usus, resolvetur, in simplicè noleita-
tè. Ex quo fit quòd illi soli possunt amit-
tere aliquod privilegium per non usum,
qui possunt illi renuntiare ut bene adver-
tit Barbol. loco supra cit. Et sic quando ali-
quod Privilegium spectat ad plures quo-
rum alii usi sunt, alii non, manet semper
in suo virore, adeò ut illi qui non sunt
usi, possint ad illud redire, nisi obstet al-
liud, de privilegiis verò regularium, cum
non constet ullius usum fuisse univerfa-
liter, in omnibus ordinibus, & ordinum
Monasteriis fuisse intermissum, modo
supra explicato, ideo & hac via nul-
lum putò hæctenus extinctum fuisse.

ARTICULUS V.

De Amissione Privilegiorum per
contrarium usum.

S Y M M A R I U M.

- 1. Privilegia amittuntur per contrarium usum,
& que 10.
- 2. Usus contrarius, quomodo dicatur in privile-
giis.
- 3. In usu contrario includitur præscriptio.
- 4. In usu contrario includitur præsumptio re-
nuntiationis.

H s. Con-



- 58
5. Contrarius usus, aliquando resolvitur in simplicem non usum.
 6. Ut usus contrarius extinguat privil. quomodo debet ei esse contrarius.
 7. Regulares non amiserunt ullum privil. per contrarium usum & seq.
Possunt reassumere omnia quae sic dicuntur amissa ibid.
 8. Etiam odiosa.

Hunc modum, quo possunt amitti privilegia, discimus ex cap. cum accessissent. de const. c. pro illorum. de praeb. c. si de terra & c. accedentibus. de privil. l. auxilium. de min. l. cum pater. eod. de leg. 2. Gloss. cap. privilegium. 11. quest. 3. & Specul. lib. 2. tit. de instr. edit. §. 11. Pro hujus autem propositionis explicatione, supponendum venit, quod in materia privilegiorum, usus contrarius (si proprie loqui volumus) dicitur tantum de negativis, ut bene advertit Barbof. de off. & pot. ep. p. 2. alleg. 26. v. g. si quis non obligatus ad decimas solvat, si exemptus ab ordinario se submittat &c. tunc enim verè amittitur privilegium per ejusmodi actus contrarios, & hoc duplici ratione, nimirum, quia per tales actus incipit praescriptio currere, quae tandem completa extinguit privilegium; ut si exemptus subiciat se in aliquo, incipit Episcopus fundare, suam jurisdictionem, ac tandem post 10. annos subjectionis, extinguitur exemptio, vel quia inducitur interpretativa renuntiatio, quia ex quo suo privilegio, scienter quis contravenit, censetur illi renuntiare, & consequenter lege renuntiationis, illud amittit. Gloss. c. gratum. de off. & pot. Ind. del. & c. cum accessissent de const. Panor. eod. & Sylv. v. privilegium. num. 11. Quorum doctrinam ego intelligo, juxta dicta in articulo praecedenti, de non usu, aliàs autem simplex contraventio, resolvitur in non usum

per quem solum, non amittitur privilegium, ut inter alios docet Burgos. c. cum accessissent cit. n. 259.

Addit Sylv. quod ut privilegium amittatur per contrarium usum, actus debet esse illi contrarius directè, & non sufficere si indirectè tantum. Et ut vult Bon. 4. 3. de priv. p. 8. §. 6. talis actus debet esse contrarius privilegio materialiter, simul & formaliter, hoc est, quod debet exerceri, animo renuntiandi, & se subjiciendi juri communi. Et ut ait Barb. alleg. 26. cit. exerceri tanquam susceptus, non ex voluntate, sed ex obligatione.

Ex quibus patet, Dianam tract. 2. dub. reg. ref. 88. rationabiliter asserere de regularibus quod licet aliqui habuerint contrarium usum alicui privilegio: possunt tamen ad illud redire, & reassumere, quia inquit contrarius usus, inducitur ordinariè, per non usum, per quem non formatur consuetudo, nec consequenter amittitur privilegium, & pro tollendo omni dubio, & scrupulo, ita repetitis verbis declaravit Eugen. IV. pro Carthus. & Nicol. IV. pro Carthus. Et illud non amittere ullum privilegium, etiam per unum aut plures actus ex ignorantia, vel negligentia, alicui contravenierint. Margar. in bull. Cassin. Tambur. 11. 1. de iur. abb. d. 17. qu. 14. Portel. v. privilegio. cessario. numer. 62. Casar. v. privilegium. num. 33. & Nald. v. privilegium. num. 4. Quae declaratio, sanè debet intelligi, non solum de privilegiis favorabilibus, sed vel maxime, de odiosis, aliàs nihil operaretur, cum de jure communi, & seculis omni gratia, vel declaratione, nunquam amittatur, privilegium favorabile, per contrarium usum, ut bene inter alios observat Laym. in theol. mor.

lib. 1. tit. 4. c. 23.

ARTICULUS VI.

De Amissione Privilegiorum per Præscriptionem.

SUMMARIUM.

- 1. Privilegia amittuntur per præscriptionem. Et que 3. 4.
- 2. Privilegia computantur inter bona.
- 4. Nulla præscriptio currit contra Cassinenses.

Qua ratione ego dixi in c. 3. hujus sect. acquiri privilegia per viam præscriptionis, eadem per proportionem amittuntur, servatis nimirum ex parte præscribentis, contra privilegium, his quæ ad complendam præscriptionem requiruntur, ex dispositione juris quæ ibi ego tetigi, & ideo repetere supersedeo. Nam quia privilegia computantur inter bona, ut inter alios notat Portel. v. præscrip. cons. bona. num. 1. ideo potest contra ipsa, jus acquiri, ipsaque possunt tolli à privilegiato per viam præ-

scriptionis, ut quævis alia jura vel bona. c. placuit. 16. q. 3. c. sanctorum. c. de quarta. c. illud. c. ad aures. de præsc. & c. accedentibus. de privil. & l. cum in longi. C. de præscr. longi temp.

Quod tamen venit intelligendum, de 3 de privilegiis privatorum, vel particularium ecclesiarum, non de his quæ sunt concessa Cassinens. aut habentibus beneficium communicationis, cum ipsis, nam licet præscriptio compleatur spatio 20. annorum inter præsentis, 20. inter absentes, aut 40. si agitur contra ecclesiam, &c. Attamen contra, Congregationem Almam Cassinens. & ejus monasteria, nullo tempore compleri potest præscriptio, ut videbimus sect. 3. ubi de bonis. num. 4. Et sic quæ dicta sunt de amissione privilegiorum per præscriptionem, intelligi debent, ut jam monui de privilegiis privatorum, non verò regularium.

* * * * *



PRIVILEGIA
SUMMARIUM
ET
COMMENTARIUM
IN REGULAS
CELLARUM
S. O. L. C. E.
P. I. E. R. M. I. T. T. I. C. I. S.